

tere studeant integritate vitae et virtutum omnium splendore.

XLV. — Memores sint denique parochi, se quotidie paratos esse debere ad rationem de propria ecclesiae administratione Deo reddendam. Omnia itaque ordinata semper habeant, tum in parochialibus libris, tum in inventario et in ceteris documentis, quae conscribenda erunt, quemadmodum in titulo de bonis Ecclesiae praescripsimus, ut sic caveatur ne ullum Ecclesiae damnum obvenire possit.

TITULUS XI.

DE MINISTRIS ADIUTORIBUS SEU VICARIIS PAROCHUARUM.

Sacerdotes administri, ut iam diximus, dantur parochis in auxilium, sed praesertim in favorem animarum, quarum praecipuus scopus ministerii illius est, et ideo officium dumtaxat habent, non tamen ipsum beneficium ecclesiasticum, quod solum ad parochum pertinet.

Quo circa sequentia statuimus:

I. — Ad solum Episcopum vel eius Vicarium Generalem pertinet administrorum obligationes et iura definire, necnon eorum nominationem vel remotionem facere, ac mercedem pro labore ipsis assignare.

II. — Parochi numquam obliviscantur se stricte teneri ad munus parochiale per seipsos obeundum, et vicarios dari tantum, ut in exequendo munere parochi auxilium praestent. Non igitur maximam partem ponderis ministerii super illos imponant; et in omnibus et

semper non graves aut molestos se praebeant, sed uti fratres illos diligentes et amplectentes, benevolo animo sacerdotales virtutes practice doceant, ad parochiale munus rite exercendum patienter informant, in dubiis paternis consiliis adiuvent, et in adversis consolentur.

III. — Cum non vicariis sed parochi animarum cura concredita sit, officium illorum in eo consistit, ut parochi auxilientur in adimplendis suis obligationibus, et etiam ut illius vices gerant, cum necessitas aut iusta causa id exigat. Nullam proinde administri sibi vindicent auctoritatem in paroecia, et nihil omnino immutare aut disponere audeant de iis, quae solum ad parochum pertinent. Obedientiam illis praestent in omnibus, quae ad pastorale munus spectant; et si ab illis se gravatos plus aequo sentiant, ipsi placide, humiliter et opportune rem exponant, et si opus fuerit, ad Vicarium foraneum vel ad Episcopum deferant, quin interim debitam submissionem et obedientiam denegent.

IV. — Missam in ecclesia parochiali celebrent, hora a Parochi prudenter assignata, et extra ipsam ecclesiam non celebrent, nisi ex dispositione aut licentia parochi.

V. — Vicarii legi residentiae non aliter ac parochos adstrictos esse declaramus. Proinde cum a Paroecia abesse velint, si duobus vel tribus diebus, a parochi, si per quatuor vel sex dies, a Vicario foraneo, si vero diutius, ab Episcopo vel eius Vicario Generali licentiam impetrent.

VI. — In administrandis sacramentis, et praesertim in audiendis confessionibus, diligentes sint et assidui: infirmorum visitationi sedulo incumbant: pueros et rudiores christianam doctrinam sollicite doceant, et denique in divini verbi praedicatione veros parochi auxi-

liares se praebeant. Sed nihil de his peragant, contra parochi dispositionem.

VII. — Ubi duo vel plures sint administri pari studio et fraterna concordia ad invicem se adiuvent, alter alterius, quoties opus fuerit, vices agentes, et in omnibus Dei gloriam et animarum bonum una cum parochi in Domino procurantes.

VIII. — Vicarii, qui in ecclesiis filialibus administrant cum assignato illis territorio, omnes ecclesiasticas et sacramentales functiones per seipsos peragent, sed cum dependentia semper a parochi, qui poterit, quoties illi visum fuerit, personaliter omnia perficere. Solummodo matrimonia, etiam in filialibus, parochi erunt propria exclusive, nisi in unoquoque casu vicario delegaverit.

IX. — Erga parochianos humaniter, comiter ac modeste se gerant. Illorum domos, nec nimium frequentent, praesertim eorum quos erga parochum minus affectos noverint, et contra parochum vel alios superiores ecclesiasticos numquam cum fidelibus colloquantur.

TITULUS XII.

DE CETERIS CLERICIS.

Cum clerici non pro suo ipsorum commodo, sed pro Ecclesiae ministerio et animarum bono sacris ordinibus debeant insigniri, omnes hactenus promoti, sive in posterum promovendi, dum aliud ab Episcopo in singularibus casibus dispositum non fuerit, alicuius ecclesiae parochialis servitio sciant debere esse mancipatos, vel pii alicuius loci pro cuius necessitate vel utilitate assumptus quisque fuerit. Semper ergo servitio

Ecclesiae addicti esse debent, nec possunt e Dioecesi abire, nisi ex licentia, in scriptis ab Ordinario accepta, sub poena suspensionis a divinis ferendae sententiae (Conc. Trident. Sess. xxiii, c. 16 *De reform.*). Circa hoc ergo, praeter honestatem vitae et morum puritatem, quas alibi omnibus iuxta canones omnino praescribimus, haec sequentia stricte servanda decernimus:

I. — Omnes presbyteri, quibus nullum speciale officium commissum fuerit, omnesque clerici cuiuscumque ordinis sint, vel Ecclesiae Cathedrali vel alicui parociae ab Ordinario adscribantur, et in eis « quamvis beneficia vel officia ecclesiastica non habentes », inservire teneantur (Bulla *Apostolici ministerii*, n. 7 et 16).

II. — Sacerdotes qui audiendi confessiones facultate praediti sunt, tempore praesertim quadragesimae et paschali pro praecepto a fidelibus adimplendo, quotidie et in praecipuis anni festivitibus confessionali assideant, parochi in hoc gravissimo ministerio auxilium sedulo praestantes, et etiam in divini verbi praedicatione, in parvulorum catechismo et infirmorum visitatione, quoties ab ipso parochi ad haec sollicitentur, auxilium praestare debent; stipendio tamen non careant, si officia alias remuneranda obeant.

III. — Sacerdotes item, qui in parocciis ruralibus quacumque ratione inveniri solent, si postulet necessitas, Missam ea hora diebus dominicis et festis celebrabunt, quae Parochi visa fuerit in commodum populi, dummodo tamen nec valde mane sit, nec valde sero, et valetudini ac iustae celebrantis mercedi aliunde consulatur.

IV. — Tam sacerdotes quam alii clerici, nisi legitime impediti fuerint, superpelliceo induti, Missae pa-

rochiali cum cantu singulis dominicis et festis, adsint, et praesertim in praecipuis festivitatibus D. N. Iesu Christi et Beatissimae Virginis Mariae, in die Cinerum, Candelarum, et Palmarum, in Triduo Maioris Hebdomadae, in festo Sancti Ioseph, Sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, et Titularis ac Patroni loci, ad maiorem cultus divini splendorem et populi aedificationem. Qui in civitate episcopali inveniuntur, Missae conventuali diebus praedictis in Ecclesia Cathedrali intersint.

V. — Curent omnes tam parochi, quam ceteri sacerdotes, ut licentiae, quas ad exercitium sancti ministerii obtinuerint, tempore opportuno ab Ordinario renoveantur. Idem etiam faciant Capitulares, qui generalibus licentiis adhuc non gaudeant.

VI. — Non possumus hic, quin toto animo redarguamus illorum pigritiam ac deplorandam negligentiam, qui, ex eo quod nullum speciale officium illis commissum est, otio inertis et pernicioso indulgere solent. Sacerdotes igitur et clerici omnes in nostra Provincia nullibi unquam absque aliqua utili et honesta occupatione vitam gerant: otiositas enim omnium malorum et radix et mater est, et omnino reprehensibilis et absona a ministris Ecclesiae. Proin vel studio scientiarum ecclesiasticarum vacent, vel historiae profanae, vel artium liberalium.

VII. — Obedientiam et reverentiam suo Praesuli aliisque superioribus debitam, numquam denegare audeant, et attentionem ac venerationem, quae Dignitatibus, Canonicis, Vicariis foraneis et Parochis respective debentur, urbane et humiliter praestent, non enim inaniter hierarchia in Ecclesia Dei instituta est.

VIII. — Denique omnes in Domino enixe hortamur, ut semper et ubique bona amicitia, christiana cari-

tate et fraterna unione se invicem tractent et diligant: semper totis viribus inquirent pacem et servent, et omni studio, patientia ac prudentia, « alter alterius onera portantes », qualescumque dissensiones, inimicitias et aemulationes penitus extinguant, et perpetuo evitent, ut in uno spiritu et una fide manentes, in eadem etiam perseverent voluntate, qua mutuum iuvamen et auxilium inter se, populo autem utilitatem et aedificationem praebeant in vinculo pacis.

TITULUS XIII.

DE REGULARIBUS.

Summo honore ac benevolentia venerabilia regularium ordinum instituta prosequimur, nam non potest non esse sanctum Ecclesiaeque perutile illud vitae genus, quod a Christo Domino, consiliis quibusdam propositis, est commendatum; quod inde a primis saeculi floruit, plurimos coelo peperit Sanctos, Ecclesiae pastores et animarum saluti strenuos operarios. Iure proinde merito Summi Pontifices regularium institutiones fovenerunt et contra hostes protexerunt.

Singulari Dei beneficio in nostris speciatim regionibus optime de Catholica Ecclesia religiosas istas familias meritas fuisse, laetissimo sane gratissimoque animo commemoramus.

Verum, pro aetatis praesentis adiunctis evenit, Deo ita permittente, ut religiosos coetus e suis monasteriis expulsos et spoliatos videamus, et viros post vota solemnia emissa, qui antea in claustris degebant, hodie circumquaque vagantes. Faxit Omnipotens Deus ut meliora dentur tempora!

Quod praesens attinet, eos vehementer exhortamur, ut prae oculis habeant verba sequentia Tridentini Concilii (Sess. xxv *De regular.* cap. 1): « Regulares, tam viri, quam mulieres, ad regulae, quam professi sunt, praescriptum, vitam instituunt et componant, atque in primis quae ad suae professionis perfectionem *pertinent*, fideliter observent. »

Regulares igitur spiritum suae professionis nutriant, et praesertim in omnibus se praebeant pietatis, fervoris, obedientiae omnisque perfectionis exemplar.

Regularium privilegia, quibus ante eorum dispersionem religiosae Communitates gaudebant, agnoscimus et reveremur, in eo statu, iisque conditionibus, quibus a Sede Apostolica fuerunt concessa, approbata, restricta, definita et conservata.

Quoad vero iurisdictionem episcopalem super viros religiosos, singillatim sumptos et extra claustra degentes, has quae sequuntur regulas, ex ephemeridibus *Acta Sanctae Sedis* desumptas, observandas recensemus.

I. — Quamvis essentia ordinis regularis non consistit in ea ratione vivendi, qua sub uno eodemque tecto, et sub una domestica disciplina regulares vivere tenentur; haec tamen pertinent ad ordinis regularis religiosi integritatem, quae integritas, si ex violentia illata cesset, cessant, seu suspensa manent, ea privilegia quae intuitu eiusdem integritatis sunt concessa. (Act. S. Sedis, tom. III, pag. 156 et 663).

Manente autem essentia ordinis, Sancta Sedes, pro rerum adiunctis, indigentis regularium succurrit, et ea privilegia confirmat, quae cum statu, in quo regulares ob violentiam reperiantur, convenire aliqua ratione possint (Ibid.).

II. — Regulares extra claustra degentes, temporum nequitia, quodammodo aequiparari possunt sacerdotibus; ideoque totaliter eximi nequeunt a iurisdictione Ordinarii loci in quo degunt (Act. S. Sedis tom. IX, pag. 110). Quapropter, iis in adiunctis, quoad regimen et disciplinam ecclesiasticam iurisdictioni Episcoporum subesse debent.

III. — Per suppressionem, quamvis iniquam, ea Regularium privilegia saltem suspenduntur, quae ordini tributa sunt uti corpori morali, sive, uti societati sub disciplina regulari viventi. Quare, ea privilegia quae intuitu talis societatis collata sunt alicui ecclesiae, cessante ex quolibet eventu privilegii collati causa, cessante necesse est privilegia, quibus, intuitu illius existentis causae, ecclesia peculiaris gaudet. Cessantibus autem eiusmodi privilegiis, ius commune subintret oportet. (Ibid. tom. X, pag. 239).

IV. — Ecclesiae Regularium, quae multis ab hinc annis ab ipsorum expulsionem peracta, iurisdictioni episcopali subiiciuntur, huiusmodi iurisdictionis curae et tutelae subiectae permaneant, donec a Sede Apostolica aliud disponatur.

V. — Episcopi possunt in quibusdam casibus adhibere censuras contra regulares contumaces, degentes et delinquentes extra claustra, et id, si non tamquam iudices, tamen sicuti iuris executores, sive tamquam Sedis Apostolicae delegati (Conf. Acta S. Sed. tom. IX, pag. 110).

VI. — Ordinarii Dioecesium possunt quoque moderari, pro eisdem Religiosis extra claustra degentibus, facultatem celebrandi Sacrosanctum Missae sacrificium, audiendi fidelium confessiones, nec non Sanctum Evangelium praedicandi. Ideoque Regulares ab illis obti-

nere debent licentias in scriptis ad sacrum ministerium exercendum.

VII. — Prae oculis habeant Episcopi instructiones, decreta, et apostolicas litteras, quae usque nunc de Regularibus prodierunt, praesertim instructionem S. Poenitentiariae 18 Aprilis 1867 et decretum S. Congregationis Episcoporum et Regularium 4 Novembris 1892.

TITULUS IV.

DE SACRIS VIRGINIBUS.

Ad sanctitatem quae Ecclesiae Christi nota et insigne est, praeter alia, pertinent consilia evangelica et virtutum omnium exercitatio. Non omnes capiunt verbum istud: sed nunquam desunt, nec deesse possunt, qui meliorem partem eligentes, perfectionem divinitus commendatam sponte sectentur. Huc spectant sacrae illae virgines, quarum coetus tanta multitudine et tam decora varietate, Spiritus Sanctus excitavit. « Gaudet per illas Ecclesiae Matris gloriosa fecunditas, quantoque plus virginitas numero suo addit, tanto plus gaudium Matris augescit Sunt enim ecclesiastici germinis flores, ornamentum gratiae spiritualis, Dei imago respondens ad sanctimoniam Domini. » (S. Ciprianus, De discipl. et habitu virginum).

In hac autem illustriori Christi gregis portione, aliae, Mariam imitatae et vitam agentes contemplativam, sedent ad pedes Salvatoris: quae procul ab aestu rerum humanarum, non solum vacant animae suae, sed ceteris etiam sanctitatem exemplo praedicant, Dei vindictam a populis avertunt, et sicut olim Moyses in monte, sublevatis ad coelum brachiis, nobis deorsum praeliantibus validissima auxilia et victoriam comprecantur.

Aliae vero, in vita mixta, Marthae operibus se devovent: et ipsae quoque de christiana et civili republica tam egregie mereri solent, ut in pluribus regionibus foveantur et prosperrime crescant, in multis postliminio reducantur, in omnibus laude ac benedictionibus cumulentur. Qua late patet orbis, natio vix ulla est, quae praestantissima earum beneficia perspecta non habeat, quemadmodum de America Boreali testes sunt quinquaginta circiter Episcopi in Concilio plenario coniuncti: « Hisce Congregationibus acceptum referimus quod tot puellarum innocentiae servandae habeamus parata tutaque domicilia; his debet America nostra institutionem numerosae iuventutis tum in litteris, tum in christianis moribus, atque adeo diffundendae catholicae fidei efficax adiumentum. » Quin etiam in luctuosis belli tumultibus, effecit Sororum caritas ut ipsae calamitates in praeclaram Ecclesiae commendationem cederent. « Quis enim, etiam acatholicus, sororum nostrarum in nosocomiis inexhaustam patientiam, parem in omnes beneficentiam, singularem ubique modestiam, potuit non admirari, aut tantarum virtutum effectricem causam aliam cogitare, quam divini Spiritus adiutorium illud quo etiam inimicus homo cogatur fateri: Digitus Dei est hic? » (Conc. plen. Baltimorenses II – Decr. 415 et Litt. Pastorales Concilii Patrum).

Quum igitur non ignorent Episcopi quantum ex religiosis Ordinibus pie institutis et recte administratis, Ecclesiae Dei splendoris atque utilitatis oriatur, summa virium contentione incumbere iubentur ut regularis disciplina, ubi forte collapsa sit, restauretur; ubi vero conservata, constanter perseveret (Conc. Trid. Sess. xxv *de Regul. et Monial.*).

Enimvero neminem fugit huic saluberrimae provi-

dentiae vix locum esse inter nostrates: nam qui olim splendebant sanctimonialium coetus, eos ad unum omnes praesentis aetatis procella et irruens calamitatum turbo dissipavit. Dispersis et extinctis communitatibus, virgines Deo sacrae, si quae supersunt e pristinis sedibus exules, ab invicem separatae, quaquaversum disiectae, nec collegialem professionis suae vitam agere valent, nec praestitutas sibi leges adamussim servare.

Quae luctuosa piae familiae conditio, Patrum huius Concilii animos vehementer angit et sollicitat; eisque opportunum visum est nonnulla monere, hortari, praecipere, quibus, tum singularem suam benevolentiam et commiserationem patientibus sanctimonialibus significant, tum earum necessitatibus opitulentur.

I. — Nitantur Praesules dispersas moniales provide tueri ac sustentare: plures enim bonis spoliatae in atroci inopia, fame, lento martyrio, vitam ducunt miserrimam. Aequum est ut Episcopus sponsarum Christi lacrymas abstergat; aequum est ut quae olim operosa et materna sollicitudine omnium infortuniis subveniebant, in propriis aerumnis praesidium et solatium a communi Dioeceseos Patre accipiant.

II. — Excitandi quoque erunt catholici omnes, ut permoti caritate, quam divinae religionis Auctor discipulorum suorum quasi notam et habitum esse voluit, studium omne suum ac laborem conferant, ad egenas, afflictas et desolatas virgines liberaliter sublevandas (Confer. Breve SS. D. N. Leonis XIII, *Quo vehementius* 7 Oct. 1884).

III. — Feminae regulares, a propriis claustris expulsae quantumvis exemptae, iurisdictioni Ordinarii loci omnino subsunt. Is itaque pastoralis suae curae eas peculiariter concreditas reputabit; in earum vivendi ra-

tionem caute inquiret, ac neminem patietur a via virtutis et religiosi decoris aberrare (Cfr. Decret. S. Poenitentiariae, 18 April. 1861, art. 7).

IV. — Emissa olim vota, et praecepta quae uniuscuiusque instituti substantiam aut perfectionem respiciunt, magni faciant mulieres Deo sacratae, eademque exsequantur, quatenus per huiusce temporis et regionis adiuncta licebit. Quod si religiosae disciplinae litteram servare impossibile est, a spiritu earumdem non recedant.

V. — Si quae forte parentum aere aliorumve subsidiis ditantur, memores tamen paupertatis quam sponte amplexae sunt, abstineant a profusis sumptibus; superflua quaeque et nimis exquisita e victu, suppellectili atque universo cultu eliminent.

VI. — Quae virginitatis suae florem Agno Immaculato consecrarunt, studiosissime caveant ab omni inquinamento carnis et spiritus (Confr. Ep. II ad Cor. VII, 1). Quin etiam, saeculi pericula et illecebras, prudenter declinantes, seipsas exhibeant, hostias viventes, sanctas, Deo placentes.

VII. — Sacrosancta Tridentina Synodus (Sess. XXV *De Regularibus*) universis Episcopis sub interminatione maledictionis aeternae praecipit, ut clausuram curent servari inviolatam. Sed quia, hoc loco, hac aetate, propter civilis societatis conditiones, sancta illa solitudo, quae castitatis efficax munimentum est, sarta tectaque custodiri nequit, monasticas virgines obtestamur et urgemus, ut eo cautius innocentiae suae thesaurum defendant.

VIII. — Quum nunc mundo viciniore sint, ac saepe inter homines deliciis deditos versari cogantur, sedulo cavendum est, ne a recto tramite deflectant, et prae-

humana fragilitate laqueis vanitatis irretiantur (Conc. Prov. Compostellanum an. 1887 tit. v, c. 14). Proinde expedit eas in medio saeculi tumultu velut eremum incolere, inutiles visitationes et otiosa colloquia devitare; siquidem ex nimio cum extraneis commercio haud levia caperent detrimenta.

IX. — In quaeritandis eleemosynis ne modus excedatur. Ad varia autem praecavenda incommoda prohibemus, ne stipem collecturae circumcursent, nisi venia ab Episcopo impetrata, cuius erit necessarias praescribere cautelas.

X. — Fluctus calamitatum, et tribulationum aquae multae, non exstingunt caritatem, neque erga Deum, neque erga proximos. Quare, mulieres Christo mancipatae, atque illae in primis quae a caritate nomen trahunt gloriosum, laudabiliter facient, si susceptos olim labores et providentialia munera, iam non collegialiter, sed pro suo quaeque modulo obire perseverent. Idem sit atque antea misericordiae sensus in pauperes, senes et aegrotos; idem promptus et hilaris animus ad beneficandum; eadem in christiana parvulorum educatione solertia. Attamen his aliisque id genus operibus non sine debita circumspectione operam navabunt.

XI. — Praecipua diligentia propriae animarum perfectioni prospiciant. Colant temperantiam, alant in se pietatem, virtutum omnium splendore Ecclesiam exornent; Domino Iesu Christo, qui ipsarum constantiam nunc temporis exercere dignatur, humili ac fidenti animo adhaereant, eique soli studeant placere.

XII. — « Sacrosanctam Eucharistiam suscipiant ut eo se salutari praesidio muniant, ad oppugnationes daemonis fortiter superandas » (Conc. Trid. Sess. xxv *De regularibus*, cap. 10). De earum autem confessa-

riis sive ordinariis sive extraordinariis, iuris dispositionibus standum erit, praesertim legi Trid. (loco cit. — Bullae *Inscrutabilis* Gregorio XV. — Bull. *Pastoralis* Bened. XIV, 5 Aug. 1748), Sacrae Cong. decretis, et illi nominatim quod die 17 Decembr. an. 1890 promulgatum fuit.

Denique ipsis S. Cypriani verbis universas bono animo esse iubemus: « O bonae virgines, quae Deo et Christo vacantes, ad Dominum, cui vos devovistis maiori et meliori parte praeceditis. » (De disciplina et habitu virginum). Utique, odit eas mundus, quia mundus eis dignus non est; sed Agnus Immaculatus, quocum sanctissimas nuptias inierunt, eas non derelinquet, dummodo ipsae divino Sponso fidem servent intemeratam.

SECTIO II.

DE PERFECTIONE CLERI

TITULUS I.

DE VITA ET HONESTATE CLERICORUM.

Quamvis omnibus christianis dictum sit: « Estote vos perfecti, sicut et Pater vester coelestis perfectus est » (Matt. v, 48); « quia haec est voluntas Dei sanctificatio vestra » (I. Thes. iv, 3); insignis tamen vitae perfectio illis potissimum competit quos Dominus ex tot millibus hominum selegit sibi, et in suam sortem vocavit.

Quicumque enim ad sublimem sacerdotii dignitatem aut iam evectus est, aut saltem destinatus, quasi medius stat inter Deum et homines, ideoque iuxta mo-